

1367

C O D I C E S

1368

Marraccium obpone, qui omnes *Robertum* non *Epitomatores*, sed verum *Alcorani* Interpretem agnoscunt, quamvis de ejus interpretatione minus benigne sentiant. His ita constitutis in examinando Codice nostro progrediamur. *Epistolam Petri Chuniac.* ad *Bernbardum* excipit *Prologus Roberti* translatoris *Viri eruditi et Scolastici ad dominum p. abbatem Chuniacensem.* Non suo hic loco positus; pertinet enim ad *Saracenorum Chronicam*, quam post *Alcoranum* jussu ejusdem *Petri Abb.* latinam fecit *Robertus.* Et *Chronicam* quidem vulgavit *Bibliander* supracit. p. 213. *Prologus* noster tamen illi defuit. Video autem apud *Tannerum Biblioth. Brit. Hib.* p. 454. extare illum una cum *Chronica* in Codice *Bodl. Selden. Sup. 31.* Atque en, quae ex illo ad rem faciunt. *Cum iubendi religio, parendique votum pariter utrinque concurrunt; illa nunquam difficilis in aliquo: nec hec deficiens inuenitur. Cum igitur Domino petro viro Venerabili ore mente manique — placuit detegi Mahumet detestabilem historiam (viden? Chronicam) prius ludibrio quam laude dignam, non inuitus ludum illum, licet ludus materiam, ingressus sum, — Sui namque gratia speciali prius laborem aggressus, legem predicti manu propria detexi et in lingue romane thesaurum attuli. En Alcoranum. Reliqua hujus Prologi παραίτημα sunt, praeter querelam, quod illam heresin omnium maximam per me denudatam inter rudes origine sumpta omnes etiam ec-*

clesie doctores in immensum et nimium crescere per quingentos XXXVII. annos passi sunt. Sequitur jam legitima *Prefatio Roberti in librum legis Saracenorum quem alcoran vocant. Domino suo petro diuino instinctu Chuniacensi abbati Robertus Retenen. — Vbi sepius atque sero percepi &c.* ut apud *Bibliandrum* cit. p. 7. Succedit ipsa *Korani* Versio, ut apud *Eund.* inscripta et decurrens, ne quidem *Subscriptione*, quam jam supra attuli, excepta. Non possum tamen non animadvertere in notulam, qua τὸ *Albigere* (*Hegira*) *Bibliander* asperfit. *Albigere*, ait, est regnum *Saracenicum.*

DCVIII.

Codex in turc. charta ital. arab. C. 1000
Sec. summum XV. Folior. 229.
8. calamo currente, caractere atro perscriptus, globulis potius, quam punctis miniatis interstinctus, paginis omnibus linea rubra circumdatis, marginibusque passim Notulis arabicis ejusdem coloris adpersus hunc Titulum praefert: *Vero euangelio di essu chiamato christo nouo profeta mandato da Dio* (quae vox per totum Cod. miniata) *al modo secondo la descriptione di barnaba apostolo suo. Barnabae* corpus anno Chr. 478. sub imperio *Zenonis* inventum fuisse in *Cypro* cum *Evangelio* supra petus, *ἔχον ἐπισηδες το κατὰ Ματθαιου Ευαγγελιον ιδιογραφον τῆ Βαρναβα*, testatur *Theodorus Lector* L. II. inter *Historicos eccl.* T. III. *Cantabrig.* 1720. p. 571. f. Idem

Idem *Georg. Cedrenus* ad quartum *Zenonis* annum, et *Alexander Monachus Cyprius* non diu post inventum corpus in Laudatione *Barnabae* apud *Bollandistas* ad 11. Junii p. 450. *Ευαγγελιον ιδιοχειρον, ο εξελαβον απο Ματθαιου &c.* adpellans. Inventionis hujus fama ansam praebere potuit Impostori cuidam confingendi *Evangelium* autore, non exscriptore *Barnaba*, et re ipsa tale inter *Apocrypha* relegatum videmus in *Decreto Concilii Rom.* sub *Gelasio* a. Chr. 496. in *Concc. Harduini T. II. col. 941.* et memoratum apud *Cotelerium PP. Apostolicor. Vol. I. p. 196.* in Indiculo Scripturar. e *Cod. Regio Paris.* depromto, cui similis etiam in *Bodlejana* inter *Codd. Barocc. n. 206.* extat. An etiamnum *Pseudevangelium* istud superfit graece aut latine, dicere non habeo; *Mohammedanis* certe in Oriente innotescere potuit. At praecipui illorum Scriptores excitati a *Marraccio* in *Refut. Alcorani* a p. 15. quatuor solum *Evangelia* nostra enumerant, solus *Abmedus Ebnedrisus* quinti de *Infantia Christi*, ut spurii meminit. Necessesse est igitur, ut *Evangelium* nostrum *Barbaroitalum* recentius Abortivum sit *nebulonis alicujus Apuli vel Calabri semi Mabumedani et semi Christiani e reliquiis eorum*, quos constat tempore *FridERICI II. Imp.* magno numero has regiones coluisse &c. ut visum *Lacrozio* in lit. ad *J. Alb. Fabricium*, *Cod. Apocr. N. T. P. III. p. 374.* aut, ut mihi videtur, effu-

sum ante *Mauriscorum* expulsiorem in *Hispania*, vel in *Africae* litoribus. Movent me verba *Hadr. Relandi de Relig. Mohammed. L. I. Traject. 1727. p. 23.* in not. *Et Evangelium aliquod apud ipsos est, quod ex Scriptis bonis et malis constat Arabice et Hispanice manuscriptum extat.* Verum ubi? Succurrit *Georg. Sale* in *Praef. Versionis Anglicae Korani, Lond. 1734. 4.* ubi narrat: commodatum sibi fuisse ad suas in *Koranum* commentationes a *D. Holme* Rectore *Hedlejensi* in *Prov. Hantonia Evangelium Barnabae* teste Titulo ex Italico in Hispanicum versum ab *Apostata Mustafa de Aranda Aragone*; in ejus *Praefatione* haec legi: Fuisse *Marinum* Monachum quendam cupidissimum videndi *Barnabae Evangelium* eo, quod illud citatum invenisset in quodam *Tractatu Irenaei* ex illo *S. Paulo* contradicentis; *Marinum* hunc familiarem fuisse *Sixto V. Pontifici*, et, cum die quadam inter confabulandum Pontifex in Bibliotheca sua obdormivisset, depromisse e forulis temere Librum aliquem ad fallendum interea tempus, huncque Librum forte fortuna fuisse praedictum *Evangelium*, unde *Marinum* laetissimum illud manica conditum abstulisse, et ex ejus lectione ad *Mohammedem* conversum esse. Non abstinet *Salius*, quin narrationem hanc impudentissimum commentum (*the most barefaced Forgery*) compellet; et merito. Quis enim hic *Fra Marino*, aut ubi *Irenaeus Paulo* ex *Evangelio Bar-*

1371

CODICES

1372

Barnabae contradixit? Exemplar porro nostrum *Italicum* cum *Hispanico* probe consentire e loco

Ital.

He chiamato il serpe dio chiamo l'angelo micchaelle quello che tiene la spada di dio disse. questo scellerato serpe scatia prima del paradiso he di fuori talgiali le gambe ilquale se lui uora chaminare si strafini la vita per la terra. chiamo dio dapoi satana il quale uene ridendo he disseli perche tu reprobo hai inganato chostoro heli hai fato in mondi. io uoglio che ogni inmonditia loro he di tutti li loro fioli che conuerrita farano penitenza he mi seruirano. nello uscire del chorpo loro hentri per la bocha tua he chosi serai satio de inmonditie.

Tò conuerrita pro con verità satis probat, Impostorem Barbaroitalum ne quidem intellexisse, quae scriberet. Totum igitur Figmentum ad *Africae*, ut dixi, litora, et Apostatam aliquem ablegandum videtur neutrius linguae probe compotem, nam et literae *b* gutturalis usus intempestivus, qui totum Codicem pervadit, *Italis* peregrinus est, et Notae *Arabicae* marginum *Barnabam* cum *Korano* conciliare studentes hominem etiam illius idiomatis parum peritum et in Orthographiam passim peccantem produnt. Itaque non erat, cur *Job. Frid. Cramerus* tam infidiosam ei hederam adpenderet, quam huc transferre supervacaneum censeo jam vulgatam a *Bern.*

ab *Salio* ad C. VII. *Korani* citato, qui nobis p. 43. legitur, ostendo:

Hisp.

Y llamó Dios a la serpiente, y a *Michael*, aquel que tiene la espada de Dios, y le dixo; Aquesta sierpe es acelerada, echala la primera del parayso, y cortale las piernas, y si quisiere caminar, arrastrara la vida por tierra. *Y* llamó a *Satanas*, el qual vino riendo, y dixole; Porque tu reprobo has engennado a aquestos, y los has heccho immundos? Yo quiero que toda inmundicia suya, y de todos sus hijos, en saliendo de sus cuerpos entre por tu boca, porque en verdad ellos baran penitencia, y tu quedaras barto de inmundicia.

de la *Monnoie* T. IV. *Menagianor. Amst.* 1716. p. 323. et ab *Fabricio Cod. Apocr. N. T. P.* III. p. 375. Minus erat, ut de eo paratragoediaret *Job. Tolandus* in *Nazareno* suo C. II — IX. Et quidem *Cramerus* maxime falsus est e characteris, ut ait, ductu et vetustae orthographiae ratione magnam ei antiquitatem tribuendo, dein asserendo: nemini Christianorum hoc *Evangelium* adhuc videre licuisse, et eo *Mubammedanos* tantopere gloriari. Fuit Vir hic, dum illud *Eugenio Sabaud.* 1713. venditaret, *Hagae Comit.* in magna rei domesticae difficultate, destitutus stipendio *Berolin. Aulae*, in qua olim *Fridericus Wilh.* II. institutor, dein curator nego-

1373

P O L E M I C I

1374

negotiorum *Amsteloami* agebat, neque biennio supervixit. Ad de de eo, ejusque Scriptis *Lexicon Univ. lit. K.* Codicem nostrum, ut *Tolandii* verbis c. 5. *Nazar.* p. 15. utar, habuit *out of the library of a person of great name and authority in the said city (Amsterdam) who during his life was often heard to put a high value on this piece.* Addit *Miscel. Vol. I.* p. 381. *There's but one copy of it in Christendom, accidentally discovered by me at Amsterdam in the year 1709. and now in the Library of his most serene Highness Prince Eugene of Savoy.* Pluribus abstineo; nam et *Bern. Moneta*, *Tolandusque*, et ex utroque *Fabricius locc. citt.* tam de totius Codicis ratione, quam de impudentibus ejus technis, quantum satis est, retulere.

DCIX.

U. 454 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 321. f. per duas columnas exaratus, et rubricis distinctus, sed situ multis locis satis evanidus absque titulo continet *Richardii Radulphi Fil.* sive *Fitzralph* Responsa ad *Quaestiones Armenorum* Libris XIX. inclusa, quae etiam nomine *Summae*, seu de *Erroribus Armenorum* veniunt. Praefatio incipit: *Reuerendis in christo patribus Nersi archiepiscopo mansgarden. Ac fratri iohanni electo Clacen. maioris armenie Richardus Radulphi (fil.) archiepiscopus Ard-machanus primas bibernie per gratiam seire iusticiam, donec hauria-*
Denis Codd. Theol. V. II. P. II.

tis aquas in gaudio de fontibus saluatoris. Ex relatione vestre sancte deuocionis &c. Romae nempe aut Auenione cum illis congressus erat Noster, unde et egregio Operi suo formam Dialogi inter Johannem et se dedit. Init illud: Johannes. Quia ex literali sensu scripture sacre intendis in hoc opere tractare armenorum propositas quaestiones &c. Ut in Exemplo, quod recensui Vol. I. P. 2. col. 2069, et in Edit. Parisina f. a. (1511. aut 12.) f. correcta, ut praefert, per Johannem Sudoris (le Sueur) qui tamen in hac correctione tam parum sudavit, ut Codex noster ms. fit correctior.

Thecae ejus interius utrinque adglutinata est Membrana 4. angustis columnis eleganti caractere exhibens Textum propheticum *hebr.* punctatum, et quidem anterior magnam partem *Sophoniae* a C. I. v. 9. et *Aggaei* initium, posterior vero reliqua *Sophoniae*, et *Aggaeum* usque ad C. I. v. 12. Reliqua improbe resecta sunt.

DCX.

Codex membraneus lat. Sec. E. 5 XV. Folior. 211. 4. maj. non una manu, caractere tamen atro luculento per totum scriptus, rubricis enotatus, a *Leibnitio* oblatus *Herói Eugenio Sabaudico*, sed ante *Episcoporum Varmiensum* fuit; legitur enim fol. Codici praetexto: *Iste est Liber Henrici Episcopi Warmien. quem Henricum ordine IV. habeo, dictum Heilsberg de Vogelsang et functum munere*

R

ab